



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

caput decimum quintum. Martyria quorundam & circa ea miracula
Cardinalis Castillioni mors. Oratoris Gallici in Anglia Privilegium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

ipsi, nec sociorum Catholicorum quisquam, ullum unquam rebellionis aut in Regiam aut patriam conspirationis crimen, vel leuissimo verbo confessi sunt; & ex ijs ipsis quos tum deportabant, vnus falsissima accusatione, in iudicio publico fuisse absolutus. Proinde P. Gasparus in eam sententiam multa locutus, iterum atque iterum obsecrat ductores suos, ut ad causam dicendam in Angliam reducantur, ac publico iudicio sistantur; vel saltem ut ibi pro Christo potius & innocentia sua defensione iugulentur, quam ut hac luculenta infamia in aliena terra compareant. At responsum est, id in ipsorum potestate non esse, se mandatum regium implere debere. Processimus igitur, ut potuimus nos inuicem consolantes, ac gaudentes quod hanc contumeliam pro nomine Iesu, vtrumque patienter tulimus, ac tandem Deo iuuante Boloniam appulimus, vnde postquam ductoribus nostris valediximus, ad varias Gallie vrbes, ut quisque habebat commoditatem profecti, demum omnes ferè Rhemos ad communem patrem Alanum perreximus.

In quemcumque autem locum, ad confratres aut superiores nostros venimus, eos de nobis valde anxios reperimus, audierant enim haeticorum aut maleuolorum falsis rumoribus, nos hoc exilium ob metum periculorum in Anglia vltro procurasse, stationem nostram reliquisse, aut etiam, quod gratius esset, aliquid haeticis in religione cessisse. Sed quum rem omnem ex nobis abunde intellexissent, multique nostrum se porro paratos esse dicerent, quando cumque superioribus placeret, sine omni periculorum exceptione redire, incredibiliter latati sunt in domino. Atque de istis non domi trucidatis, sed ita patria pulsus, in exemplum ac argumentum clementia Regia, aduersarij passim loquuntur libenter; & in eo persistunt atque instans tam impudenter, ut quo plures fuerint in exilium detrusi, eo magis elucere putent praclaram istam Regina clementiam. Nuper igitur eadem fraude & crudelitate qua superiores, in Galliam eiecerunt viginti duos ex Eboracensi & Hullensi carceribus, qui omnes sacerdotes sunt, vno excepto, qui tamen est Diaconus. Hi omnes maxima ex parte, non solum vinculis & carceribus, sed senio etiam sunt confecti. Nam alij sexaginta, alij septuaginta, alij plures annos habent, & inter eos vnus est octogenarius. Multi horum licet sint valde senes, magnam tamen aetatis partem in vinculis peregerunt; ita ut reperiantur, inter illos qui viginti & sex annos, patientissime & constantissime tulerint omnia illa incommoda qua tot annorum, & talium haeticorum iniquitas incarceratis solet afferre. Haec quidem ille.

VI. Liber deinde in Anglia proCUS fuit, Iustitia Britannica nominatus, eoque insigni illi (seu uicitia in Catholicos exercita, color quæritus.) Nec mirum hoc in haeticis; qui etiam foedissimas suas actiones quocumque praetextu palliare norunt. Et libro alius deinde à Catholicis fuit oppositus, & quamplurima eius mendacia ostensa. Legens hunc quidam Reginae Consiliarius, ad amicum dixisse fertur; Miror cur Pontificij etiam prudentiores tam aperce, presse ac libere sua Maestatis ac magistratum actiones & edicta refutent atque infitentur. nam licet (aiebat) fortassis nos in religione & regimine erroris conuincant; illud tamen cogitare debent, nos huc vsque progressos, saluo honore & securitate nostra non posse resilire; nec tantam reginam ob humilium istorum & pauperum hominum demonstrationes ac clamores posse aut uelle pedem referre. Sic ille. Ex quo haeticorum elucet pertinacia; quibus idem accidit quod ijs qui in uepreta incidunt; qui tanto magis manus & corpus vulnerant, quanto tenacius uepres & spinas apprehendunt. Et quoru quisque haeticorum, etiam erroris obiectus, errorem faceri uoluit? Succumbere malunt, praesertim qui iam existimationis aliquid collegerunt, quam cedere: diabolo mundanae uanitates puluerem oculis ipsorum iniiciente, ut ex caecati in exitium praecipites labantur, & alios secum trahant.

MARTYRIA QVORVMDAM
& circa ea miracula. Cardinalis Castilioni
mors. Oratoris Gallici in Anglia
priuilegium.

GAPVT XV.

ARGVMENTVM.

- I. Miracula quorundam martyrum. De Fischero Rosensi Episcopo, & Thoma Moro.
- II. Alia quadam miracula.
- III. Iudices quidam Angli ob iniuste latam sententiam subitanea morte à Deo Catholicorum causam agente puniti.
- IV. Elisabetha cum exteris Principibus confederationes. Mors VValsingami, Catholicorum, dum uixit flagelli.

V La

V. *Lamotta Fenelonius aetate venerabilis Eques Galliarum regis in Angliam Legatus, Cardinalis Castellionius Hugonotiarum defensor, eiusque mors.*

VI. *Soli Gallorum regis Legato in Anglia permissum domi sua sacrum Catholicorum ritum celebrare.*

I. **S**unt colores quidam adeo scintillantes & fulgidi, ut nisi umbra quadam obfuscetur, oculorum aciem perfringant & hebetent, nec recte adspici possint. Atqui certus ego sum, Catholicorum animos non modo non hebetatum, sed etiam magis illustratum iri, si persecutionum illis Catholicæ religionis in Anglia tenebris, licet copioso martyrum sanguine illustratis, novum & insolitum diuinorum miraculorum splendorem addidero: quibus Deus Catholicæ religionis veritatem stabilire, & gratiam suam veræ Ecclesiæ restatam facere semper voluit. Hæc instar linguæ sunt, qua Deus homines nonnunquam compellat. simul & ad Catholicam Ecclesiam compellit. Horum ecce tibi pauca quædam, Lector, quæ Deus in gloriosis illis martyribus operatus est. Videbis hic non viuentes modo, sed & mortuos, non loquela tantum res præditas, sed & miras, Catholicæ fidei testimonium perhibere.

Ioannes Fischerus fuit Roffensis Episcopus, cuius martyrio affecti caput hastili affixum, & in ponte Londinensi omnium oculis expositum, quo diutius ibi suspensum mansit, velut altera virga Aaronis eo magis floruit: ob quam etiam causam inde detractum fuit.

Eo die quo Thomas Morus magnus ille vir, Henrici VIII. iussu securi percussus fuerat, filia Mori Margarita peragrabat sanctas Ecclesias & eleemosynas pauperibus plena manu distribuabat; iamque omnibus elargitis cum in templo quodam orationi vacaret, *Hæc mihi* (ait ad ancillam) *oblata sum syndonis qua patris corpus inuolutatur.* Audierat Roffensis Episcopi cadaver, sine presbyteris, sine cruce, sine lumine, sine linteis proiectum fuisse in humum, nec affuisse qui sanctum martyrem sepeliret. Neque vero, quisquam ei hoc officium præstare audebat. Quod, ne patri quoque suo accideret, Margarita cauebat. Consuluit ei ancilla, ut de proximo acciperet linteum. *Quomodo* (inquit) *id faciam, cum ni-*

hil pecunia reliqui habeam? Credent tibi, ait ancilla. *Quanquam* (inquit Margarita) *longè à domo absim, nec his hominibus nota sim, tamen periculum faciam.* Accessit itaque ad vicinam tabernam, postulauit quantum sufficere credidit; cumque de precio conuenisset, manum veluti querendæ pecuniæ causa, in perulam misit, eo animo, ut diceret, *præter spem sibi euenisse, quo minus adessent pecunie: sed speraretur sibi, se quamprimum id quod conuenerat reddituram.* Ecce autem, cum certo ei constaret nihil omnino paulo ante reliquum fuisse, tamen iam in peralium syndonis precium reperit, nec vnoter uncio plus minusve, quam eo tempore ex pacto persolui oportebat. Miraculo confirmata, linteum accepit, patris cadaver inuoluit; & quia feminam ac præsertim filiam, nemo ac officio pio repulerat, Christi Martyrem honeste sepeliuit. Eo de Moro quidem hæc tam Sandæ quam Ribadencira scribunt.

De Carthusiensibus monachis sub eodem Henrico martyrio affectis, hoc etiam miraculum circumfertur, quum corporum in quatuor partes dissectorum partes celebrioribus vrbis locis suspensæ essent, toto trimestri nulla in eis putredinis indicia apparuisse, quasi non morticiorum, sed adhuc viuæ carnes essent. Aiunt, quum forte religiosus quidam eiusdem monasterij ex desperatione in profluentem abijcere se vellet, à sanctis his martyribus impeditum, donec re comperta, illi ad tantum scelus via obstructa fuit. Alius Religiosus Augustiniani Ordinis, Ioannes Eltonus nomine, in carcerem coniectus, quo Henricum pro Anglicanæ Ecclesiæ capite agnoscere nollet, instantis supplicij metu vehementer consternatus, quum Deum quam potuit adentissime deprecaretur, ut constantiam largiri sibi vellet, vocem cælestem audijt, *us cursum fortiter consummaret exhortantem, nec pro veritate mori pertimesceret, cui cæleste paratum esse auxilium.*

In Hibernia Theologus quidam Ioannes Trauersius nomine, captiuus detinebatur, eo quod librum scripsisset quo S. Petri & successorum primatus defendebatur. A iudicibus interrogatus, an libri istius auctor esset, non solum id intrepide affirmavit, sed etiam ostensis tribus digitis, *Hi,* inquit, *scripserunt.* Damnatur ergo, & rogo imponitur. Verum ecce, diuino proculdubio miraculo accidit, ut toto flammis consumpto corpore, tres illi digiti in-

tegrum remanserint, nec potuerint comburi. Insigne & hoc est miraculum, ibidem factum, quod ex Hiberni cuiusdam fide digni hominis ore excepi. Sacerdos, inquit, peracto sacro, calicem cui consecrata inerat hostia, in altari stantem oblitus erat. Non multo post eodem venit Episcopus schismaticus, Richardus Bradem, aliquot proceribus comitatus: & detecto calice, quum hostiam profanis manibus vellet excipere, illa omnibus attonitis, de calice exsilit. Quum cumque manus versebat Episcopus, se subducit. Quum ergo eam apprehendere non posset, sacerdotem illum accersit curat, ad cuius tactum illa subsistens, nullo negotio in calicem fuit reposita. Miraculum hoc Villacatri factum est, in Comitatu Dublinensi, dicepsi vero Medenensi. Nobilem hominem noui de Comitatu Venascenensi, & Hugonotam quidem (cuius testimonium hac in re suspectum esse non potest) qui me & alijs presentibus non semel narrauit: quum pater ipse bellis illis civilibus sacerdoti in templo sacrum facienti cum militibus superuenisset, vnum ex his, execratione adhibita, consecratæ hostiæ pugione duos ictus intulisset, atque inde statim copiosum promanasse sanguinem. Hoc ille oculis suis se vidisse testabatur, nec minus tamen pertinaciter in hæresi perseverabat, miraculum hoc execrationi, quam miles vsus fuerat, imputans. Quasi vero quoties impius aliquis miles diuino nomine ad execrationes & blasphemias abutitur, Deus statim miraculo id displicere sibi ostenderet.

Scriptum à quibusdam inuenio, Ioannis Foresti, eisdem martyrio sub Henrico affecti, corpus numquam flammis totum consumi potuisse: & in ipso, ad palum alligati capite candidam columbam ab infinita hominum multitudine fuisse conspectam. Alexander Briantus in Epistola quadam ad Patres Societatis suæ testatur, se secundum ac tertium (quod sine præsentis diuino auxilio fieri non poterat) crudelissima tormenta in equuleo sine omni doloris sensu sustinuisse. Tantum scilicet potuit feruens precatio, qua is Deum instantissime rogabat, vt sibi non minus quam adolescentibus illis in fornacem ardentem, aut Danieli in leonum foueam coniectis, præsto esset vellet.

III. Inter omnia vero quæ tum dum Catholici passim in Anglia ad supplicium rapiuntur, miraculose acciderunt, quod Oxonij contigit maxime est memorabile: vbi subitus & pestilens morbus iudices & assessores omnes, ipsumque etiam Præfectum nec non duodecim alios qui

Rolandum Grinsum pro Catholica religione causam dicentem condemnauerant, ita inuasit, vt isti statim, illi vero post paucos dies ad vnum omnes interierint: non multo post etiam quingenti circiter varijs locis extincti fuerit. Quæ vero fati digna pœna ijs reperiri posset, qui sacrosanctam hostiam pedibus conculcare, vel etiam, quod horribile dictu est, sacratissimæ corporis parti immittere non dubitarunt? Anglus quidam Rendatus nomine, quum alleruisset Deum tam perfidia in Iuda quam conuersionis in Paulo fuisse auctorem, paulo post in cubiculo se ipsum suspendit. Addam hæc loco in signem impietatem Galli cuiusdam Caluiniitæ. Mameiaci nomine, Ministri Chalienstis ad quem quum dæmoniacus quidam esset adductus, nec ille hominem curare posset, metueret vero ne Caluiniistica religio propterea in despectum veniret, hominem culeo infutum, clam in fluuium abiecit, atque ita tam animam quam corpus eius perdidit, simulans interim, alid eum à se missum, qui ex eiusmodi curatione gloriolam captare nollet. Sed in Angliam redeo, vbi nullum tam durum supplicij genus est quod non Catholicis fuerit adhibitum. Quidam pedibus suspensus eo vsque donec excrementa per os egereretur. Quidam ferarum pelibus infusus, & canibus laniandi obiecti. Deo interim varijs indicijs iram suam ostendente, tum præsertim quum in templo primario Londinensi mensa, in qua Caluiniitæ cœnam suam celebrare solebant, de cælo tacta conflagrauit, nec minus misericordiam erga Catholicos diuersis modis demonstrante. Gulielmi Lacij captiuitatem & martyrium Deus cuidam presbytero in carcere reuelauit. Gulielmo Filbæo in somnis venter aperiri atque intestina extrahi visa sunt: quod & postea ipsi accidit. Quum Eberardo Vauxio ventrem esset apertus, & detracta intestina atque in ignem coniecta, clara voce exclamauit. *Q. felix dies: Cor vero euulsum postquam ter subilisset, acuto ferro transfixum & flammis fuit traditum Anno M D XCIX.* duobus sacerdotibus Georgio Nicolao & Iaxleio, in Seminario Rhemensti educatis Oxonij manus à magistratu iniectæ sunt. Interrogati à Francisco VValsingamo, Caluiniitæ acerrimo, *an sacerdotes essent*, illis tacentibus VValsingamus intulit. *Ergo proditores estis.* Tum Georgius, *consequentia*, inquit, *hæc bona non est.* Tormentis per XV. horas interrogatos & in carcere

redu-

reduktos hæreticus quidam adijt, Catholicum se esse fingens, sed nondum adhuc bene instructum eoque petijt vt hominem sibi commonstrarent à quo melius erudiretur. Sed astutiam hanc Georgij prudentia facile elusit. Tandem ergo damnati, cui scerati, & in quatuor partes dissecti sunt, & corporum partes ex veteri arcis muro suspense. Quas quum Mionistri quidam veluti recentes, & vultus ipsorum quasi spirantes adhuc vidissent, pugionum ictibus deformare conati sunt. Hoc comperto facinore, magistratus inde eas detractas, demissis brachijs ad ciuitatis portas suspendi iussit. Ibi à multis etiam hæreticis, notatum, Georgij brachium quasi ciuitati minantis speciem prætulisse. Idem nondum caprius quum furem ad mortem damnatum accepisset, qui à caprius in Catholica fide instructus, Confessarium tantum desideraret. Nobilis assumto habitu carcerem ingressus, hominem non inodo post factam peccatorum exomolegesin absoluit, verum etiam ita animauit vt in Catholica fide magna cum omnium admiratione, constantissime mortuus sit. Quis vero omnes enumeret, ob Catholicam religionem varijs suppliciorum generibus affectos? quorum nomina & alia quæ huc pertinent integris libris descripta curiosus Lector apud alios facile inuestigabit. Nec vero domesticis Catholicorum contenta persequitur: onibus Elisabetha, etiam apud vicinos Gallos, Belgas & Scotos hæresin omnibus modis fouit, rebellium suscepto patrocinio (qua in re frustra Christianissimum regem sollicitans, & Hispaniarum regi bello indicto, struatisque auro ex Indijs venienti per piratas insidijs, Hispanicæ potentia non leui intentato periculo. Anno M. D. XCI. Franciscus V Valsingamus, vitam finijt, qui præter alia multa mala quibus Catholicos exagitaui, fontes seminarij Rhemenis per emissarios veneno ioficere conatus, & Alano eius Rectori necem machinatus fuerat. Eiusdem opera effectum est, vt rex Christianissimus Catholicos ex Anglia ob religionem profugos regno suo excedere iusserit: eoque ipsius mors Catholicos multis calamitatibus subleuatura videbatur. Interim Elisabetha, vt Catholicos & in primis eos qui Philippo regi sub Parisiensi Duce militabant, domum pelliceret, emissarios suos in omnes prouincias amandat, vt vbique istud spargant, Angliæ regiam non esse in suos tam iniquam vt à multis exi-

stimetur, neque adeo quid quisque de religionis articulis sentiat sollicitam esse, modo de Catholicis certa & secura esse possit, nihil eos contra patriam cum exteris facta conspiratione molituros, nec ipsam in vilo, ne pro religione quidem illato bello, deseruros. Eodem tamen tempore multi vndique sacerdotes ybique in carceres rapti, quod in Insula mansissent, aut eo venissent.

Quod si quis omnia quæ Londini tantum in Catholicos crudeliter perpetrata sunt recensere velit, vix finem, (tanta est multitudo) vix fidem (tanta est atrocitas) sit reperurus. Ibi præter alios carceres alijs vsibus destinatos vnde decem erant & publici & capaces: Poira V Vestmonasteriensis, Flitum, Neugarum, Briduelum, Cõtoria duo, Bancus regius, Mariscalcaum, V Vitlionum, Clincum, & Turris seu Castrum: qui omnes Catholicorum pleni erant. In vno Turris vero carcere septem tormentorum genera modo huic modo illi adhibebantur. *Primum* erat lacus siue spelunca quædam subterranea, viginti pedum altitudine profunda, omni lumine destituta. *Secundum*, cubiculum quoddam seu antrum arctissimum, vix hominem erectum capiens, quod ab exigua requie, Angli *Lirilesum* appellant. *Tertium*, equuleus, quo machinis totisque ligneis hominis membra in diuersa distrahuntur. *Quartum* vocabant Schauingeri filiam, ab inuatore forsa: constans ex circulo ferreo, qui manus, pedes & caput in vnum compingit. *Quintum*, ferrearum chirothecarum, quibus manus grauissimo cruciatu affiguntur. *Sextum*, vinculorum quæ brachijs gestantur. *Septimum* denique Compedum ferreorum qui pedibus aptantur. O qui gemitus in omnibus his sunt audiri eorum, qui Pontificem Romanum pro capite Ecclesiæ agnoscunt! *Obstupro, mihi stant que coma, & vox faucibus hæret*, quoties inauditam illam hæreticorum feritatem, qua in sacerdotes præcipue, & alios Catholicos grassati sunt, lego aut mecum considero. Vah! Siccine reliquos interim Catholicos Reges ac Principes ociosos sedisse spectatores, nec quemquam damno Iosephi fuisse affectum?

V. Anno MDLXIX. Rex Christianissimus in Angliam miserat Lamotram, Fenelonium, vt Legati ibi munere fungeretur. Eodem mox venit Cardinalis Castellonius, cum putatitia sua vxore, vt Hugonotatum ibi causam ageret. Et hic quidem non minus quam regius Legatus magn-

Y z ficis

hæc exceptus fuit & habitus: nec umquam ad reginam venit, quin osculo exciperetur. Eidem magnificum non procul a regia, assignatum erat palatium. Unde vulgi dicitur, Condæi Principis Legatum regio dignatione multa esse superiorem. Vterque nihil cum altero commune habere voluit: ob diuersas quippe causas missi. Hic ut Hugonotis à regina impetraret auxilia; ille ut impediret. Et si vero regina Hugonotis pecunia aut alijs rebus aperte numquam iuuit: Episcopi tamen & alij Protestantes non exiguam pecuniæ summam subsidio eis miserunt. Sed ne hoc quidem factum Regina probauit. Sub finem anni LXX. regius Legatus, accepto, licet ob contrarios ventos, tardiuscule, de prælio Iarnacensi & Condæi cæde nuncio: Gallo mercatori in Anglia habitanti, ad se accessit. rem aperuit: qui mox etiam noctu per Catholicorum circumcurritans domicilia, famam per totam urbem divulgauit. Territi hoc nuncio Calvinistæ, Regiam adeunt, & de rumore illo per Galliarum regis Oratorem divulgato conuenerunt. At ille factum hoc negabat (neque enim iusserat) addens, de rumoris veritate nihil dum sibi certo constare. Paucos post dies quidem aulicus à Rege missus certum de tam præclara victoria & Hugonotarum regis morte nuncium in Angliam perculit; quod reginæ dolorem non mediocrem, Castillonia vero Cardinali de desperationem pene attulit. Sequenti anno missi in Angliam Equitum tribuno Memoratio, & Foxio, de matrimonio inter reginam & regis fratrem Ducem Andegavensem iam à regina in Bequestrem Periscelidis ordinem allectum, tractari ceptum est. In Gallia quoque pacis iniecta mentione Castillonius Cardinalis reditum in patriam parabat, multos exsules secum reuolvens sed aduerso vento Doueram reiectus, Cantuariam concessit: ubi morbo correptus, vndique accurrentibus Medicis, eorum vni somnium suum narrauit, quo vir quidam sibi apparuisse videbatur, & ostensa pyxide dicere: *Accipe & manduca, tumque morieris; quod si non manducaueris, tamen morieris.* Cui somato fides contulit, postquam comperit, est, venenum ei in puluere, quem post cibum ex capsula argentea sumere solebat, à cubiculario fuisse proptiatum.

VI. In unucto Angliæ regno omnis Sacramentorum Catholico ritu administrandorum, præsertim vero sacri Missæ officij celebrandi interdicitus erat vsus; id tamen priuilegij Gallia-

rum regis Oratori regina concesserat, ut domi sacra Catholico more peragere ipsi liceret: eoque domus ipsius velut terrestris quædam erat Paradisus, quo multi Catholici quotidie, ut sacris interessent, confluebant. Videre erat ibi (ut oculatus testis Oratoris illius nepos mihi dixit) sacerdotes populari habitu incedentes, & gladijs etiam accinctos, mox quum eò venissent positis profanis, & sumptis sacris vestibus, solenne illud sacrificium magna cum deuotione, ac non sine spectatorum lachrymis Deo offerre. Circa id tempus ad eundem Oratorem venit mulier quædam vetula & pauperula, & cum rubore se cognatione ipsi iunctam, utpote nobili Bidonnetorum genere progeneratam olim vero religionis zelo à Monasterio ubi Abbatisa fuerat, profugam, præsentis viro (is sutor fuerat, sed tam in Grinsea insula Ministrum seu Prædicantem obibat munus) nupsisse fateatur. Tum ille: Equidem & me tibi, & te mihi ignotam esse facile patior, qua ex Nobili virgine vilem te anillam, & ex Abbatisa Calvinistici Prædicantis concubinam ipsa feceris: & sic utrumque, data elemosyna, dimisit.

Rumore in Angliam de Hugonotarum Lutetiz perpetrata cæde perlato, à regina regium Oratorem diu auersata, tandem quum ad eam cælo admodum pluuio venisset, ita compellauit: *Non tu vides ipsum cælum Francia vestra calamitates desistere? Equidem Principem tuum aut crudelium esse oportet, aut sanguinarios ministros & proditores circa se habere. Quis non dicat, Gallos vestros à decalogo præceptum de non occidendo expungere voluisse? Ad hæc Legatus modeste admodum rationes exposuit, quibus Rex tam vitæ quam regni sui securitati in tempore consulere coactus fuerit. Eodem tempore in Angliam venerunt Gabriel Mongomerius, Vidamus Carnutensis, Segurius, alij, qui Lutetia euaserant; itemque ex litterarum ordine duo, quorum vnus Grassus nomine Rothomagensis caussidicus, Commentarios postea in Apocalypsin, alter Brocardus Venetus, librum de Papatus ruina, Portalius vero alium de somnijs, omnes metis ineptijs ac delirijs referros, conferpserrunt. Quamuis autem Elisabetha Parisiensis illa cæde magnopere esset offensa, & Hugonotarum res valde inde afflictas non nesciret: Legato tamen se rebellibus subditis nulla contraregem auxilia præstituram promisit; nec minus tamen Mongomerio vt classem quinquaginta nauium, ad opem Rupellanis oblesis ferendam, conduceret, permisit. Ad eam-*

dem.

dem deinde eadem excusandam missus Rerfius Equitum Tribunus seu Marefcallus, simul de matrimonio inter Reginam & Ducem Alenconium tractavit. sed regina pustularum morbo tum laborante, res in aliud tempus dilata fuit. Mongomerius vero in Gallia postea captus, & Lutetiam ductus, capitis supplicium luit.

DE INFORTUNATO MARIÆ
Stuartæ viduæ post mortem Francisci II.
Galliarum regis matrimonio: deque
eius captivitate, & Moraviz Co-
mitis prodicione,

CAPUT XVI.

ARGUMENTUM.

- I. Odium inter Angliam & Scotiam reginas.
- II. Scotia regina in Scotiam revertitur, & cum Angliæ regina in gratiam redit.
- III. Darlaus de regina tollenda, ac regno in se transfere-
ndo deliberat. Riccium Pedemontanum inter-
fici curat.
- IV. Darlaus à Moravio Regina fratre spurio, aliisque,
quorum princeps fuit Comes Bothuelius, tolli-
tur. Regina Bothuelio nubere coacta.
- V. Eadem captiva in lacum Laninum ablegatur.
- VI. Religio in Scotia status, forma, & summa.

Vetus est illud Tyrannorum; Fidem si violanda sit, regni causa violanda esse, in cere-
vis pietatem colendam (a). Eius rei illustre ac flebile
exemplum Anglia dedit in Maria Stuartæ Scotiæ
regina, in cuius supplicio omnium regum maie-
stati turpiter fuit illudum. Eam in theatrum hic
producere mihi visum est, ut gloria eius ob-
causam Dei & Catholicam religionem martyrio af-
fecta tanto magis in conspicuo ponatur. Ducto
ergo altius exordio à primis velut cunabulis ad
sepulchrum vsque eam comitabimur: quod qui-
dem etsi triste adpectu, non minus tamen quam
ipse regius thronus gloria habet & felicitatis.

Defuncta Maria Angliæ ex Henrico VIII, legi-
tima regina, Henricus II, Franciæ rex, qui filio
Francisco II, Mariam Scotorum Regis filiam in

matrimonium Anno 1558. mense Aprili collocari
curarat, omnem legitimam Henrici VIII. prolem
extinctam videns, præter unam Elisabetham,
quæ tamen & Parlamenti decreto, & Pontificum
Bullis illegitima declarata fuerat: Mariam velut
proximam hæredem, utpote ex Margaritâ, Henri-
rici VIII. sorore, & Iacobo IV. Scotorum rege na-
tam, (b) Angliæ reginam proclamari & Franciæ
ac Scotiæ insignibus Anglicana adungi iussit,
quo facto & quadam Mariæ felicitas ex dignitate
& spe novi regni obtinendi, aliquando visa est
oboriri, & Angliæ status in securo de successione
certa collocari.

At non diuturna hæc fuit felicitas. O spem fra-
gilem & caducam! Ecce, dum Maria ad Angliæ
adspirat coronam, non modo de sua ipsius corona,
sed vita etiam periclitatur! Sic quod summo ipsi
honori & emolumento futurum videbatur, in ex-
tremam, si externa hæc spectemus, perniciem ces-
sit. Ne scio quo fato factum dicam, ut nulla umquam
cum Anglis confederatio vel affinitas Gallis felix fuerit.
Omnis certe hæc titulorum, omnis imperij acces-
sio paulo post in fumum abiit. Maria in Gallia
Angliæ se reginam ferebat; at illa altera, hac in re
legitimam multo felicior, Londini regnabat, Elisa-
betha nempe, illa infamis Annæ Boleniæ proles,
à regni Ordinibus ad regnum euecta, deiecto
Huntingtoniæ Comite, qui vnius diei rex fuerat.
Ex illo vero diei vix potest, quantam iræ molem
Elisabetha aduersus Mariam conceperit, præter-
tim quum merueret, ne Galli armis regnum illud
viadicare sibi conaturi essent: quorum impetum
nondum stabilito regno ægrè sustinere se posse
intelligebat. Quocirca omnia prius tentanda sibi
rata, quæ Catholicam hætenus se simulauerat
religionis cultum mutauit, ut hæreticorum
armis & opibus sese muniret, missisque ad Gas-
parem Colnijum Calvinianæ sectæ amicum,
maritimæ rei in Galliapæfectum legatis, cum
eo egit, ut regnum turbis vadique inuoluc-
ret, atque ita regem ab oppugnanda Angliæ cura
& cogitatione auocaret. Et hoc quidem primum
fuit fundamentum inter Gallos Hugonotas &
Anglos Protestantes in iræ confederationis. Ha-
bebat tum in Gallia domicilium ex Scotica No-
bilitate primarius iuuenis, Iacobus Hamiltonius

Y 3

no-

a Cicero de officiis. b Henninges 4. Part. Genes
in Scotia Regum Familia. Item Reuersione